



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Ad Illvstrissimvm Lotharingiae Ducem D. Antonium &c. Iohannis Eckij
Epistola.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

AD ILLV.

STRISSIMVM LOTHARINGIAE

Ducem D. Antonium &c. Iohannis

Eckij Epistola.

Illustrissime princeps & dñe, scribit apostolus Paulus Romanis: Quæcūq; scripta sunt, ad nostrā doctrinā scripta sunt, ut per patientiā & cōsolationē scripturarum, spē habeamus. Expensa uero scriptura sacra in penitiori & recondito sensu, nō parū momenti habet, siquid futurū sit spiritus ad cautelam nostrā prædixerit. Sic Iacob patriarcha dixit filijs suis: Cōgregamini, ut annunciē quæ uentura sunt uobis in diebus nouissimis. congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrē uestrum. Quod si Iudæi attente prophetiā de Messia à Iacob tunc pronunciatā intellexissent, regē glorię nunq̄ crucifixissent. Nisi em̄ cæci fuissent, uidissent & tūc & modo se neq; reges neq; duces habere ex Iuda, imò nullum magistratū, cum eorū sint tot millia in terris. Ideo Christus inq̄t ad eos: Ego ueni in noīe patris mei, & nō accepistis me. Si alius uenerit in noīe suo, illū accipietis. hic erit Antichrs, de tribu Dan natus, cui adhærebūt Iudæi cōtra prophetias Iacob: Fiat Dan coluber in uia, cerastes in semita, mordēs ungulas equi, ut cadat ascēsor eius retro. Huiuscemodi futura quæ ecclesiæ eueniēt, etiā in nouo testamēto scripta sunt. nā Ch̄ro apostolis spūm paraclitū promittēte, subdidit: Non em̄ loquetur à semetipso, sed quæcūq; audiet, loquet: & quæ uētura sunt, annūciabit uobis. Sic Ch̄s futura prædixit de negatione Petri, destructione Ierusalē, aduentu spūssancti, psecu

Rom. 15

Gene. 49

Joh̄. 9.

Joh̄. 5.

Gene. 49

Joh̄. 16.

Matt. 26.

Luc. 19.

7 23.

Joh̄. 1. 16.

Matt. 24

tionem tyrannorum, & de nouissimis diebus. Sic apostoli in scriptis nobis reliquerunt multa de nouissimo periculoso tempore, Petrus, Paulus, Iohannes & Iudas Thaddæus. Sed quorsum hæc princeps excellentissime? ut catholicus cordatus quisque expendat scripturam, & faciat bonum, ac declinet à malo, ne simili cæcitate labamur sicut Iudæi. Nam sicut in ueteri testamento locupletè est prophetatum de aduentu Messie per Abraam ex tribu Iuda, de domo Dauid, ex uirgine, in ciuitate Bethlehè &c. sic & aduentus Antichristi cum sectis præambulis sufficièter prænunciatus est in nouo testamento. Qui ergo affectata ignorantia deserit ecclesiam dei & sanctam eius unitatem, & sectatur nouas sectas, antiquas hæreses, schismata, seducit se ipsum in perpetuum excidium. Sic enim præmonuit nos Christus: Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si hanc diuinam & paternam admonitionem obseruauerimus, non essent tot sectæ & seditio- nes in Christiano orbe. ait enim ibidem & apud Marcum: Si quis dixerit uobis, Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Quam pie admonet nos saluator, ut caueamus à sectis, cum Luther iactet quod regnum Christi sit penes se. Zuinglius arrogat sibi hoc regnum. (nam per Christum hic regnum fidei intelligit, non eucharistia, ut hæretici diuinant) hoc idem faciunt Picardi, Parabaptiste, Spiritiui, Iconomastiges, & alia huiusmodi portenta & monstra. à quibus omnibus dehortatur nos Christus, dehortatur Petrus ac Paulus, ac alij apostolici culminis primates. At pseudoprophetae aptissimas huiusmodi & indubitas scripturas, fictis ac peruersis glossis lacerant & subuertunt. In qua perfidia pro-

2. Pet. 3.
2. Thes. 2.
1. Tim. 4.
2. Tim. 3.
Jud. 1.
In Apoc.

Matt. 24

Marc. 13.

2. Pet. 2.
2. Tim. 4.

10
90
12

90

LUC. 16.

Libro 22.
Moral.

Duces
Bauarię.

pagāda adeo diligētes & sagaces fuerunt, ut in pau-
cis annis uniuersam Germaniā hæreticis & seditio-
fis libellis oppleuerint. & p̄cipue multis & uarijs ser-
monibus disseminatis, plebem in seditiōē concita-
runt & inobediētiā, aduersus deū, ecclesiā & eccle-
siasticā ac secularē potestātē. In qua re strenuā ope-
ram impēderunt, nullis laboribus, impēsis aut fasti-
dijs parcētes, cum interea catholici in defensanda fi-
dei ueritate sint om̄ino tepidi ac frigidi, ut uerissime
dixerit Ch̄s: Filij huius seculi sunt prudētiores filijs
lucis. Nā dum schismatici aceruos, imō mōtes homi-
liarū emiserint, cōtrā catholici rarerent sermones ad
plebē ediderunt, adeo ut inq̄siti tam ex clero q̄ laicis
hunc fucum p̄texerint, Emisse quidē se & legisse Lu-
theri et aliorū homilias, q̄ catholicorū nō extarēt ue-
nales. Quis excusatio illa minime eos expurget, sed
reddat magis fontes, Gregorio dicēte. Peccatū pec-
cato addit, qui culpā quā facit, patrocinia defensio-
nis adiūgit. Ex his & alijs causis moti sunt, syncero
& catholico animo nobilissimi Baioarię principes
ac dñi, D. Gulielmus & D. Ludouicus, germani fra-
tres, patroni mei pijsimi. sicut uigilantissima diligē-
tia curauerūt subditos in uera fide & auita religiōe
conseruare, & nouarū sectarū ac hæresum propaga-
tores ac p̄cones uarijs tormētis affecerūt & extirpa-
rūt: ita matura & graui deliberatiōe p̄habita, eis ui-
sum est, esse cōsultū, utile ac catholicę fidei proficuū,
si homiliae p̄ circulū anni in lingua Germanica ede-
rent de tēpore ex biblicis scripturis, iuxta explanari-
onē sanctorū patrū, intelligētiā communē & sen-
sum ecclesię catholicę, ac doctorū ab ea approbato-
rum, & in primis Dionysii, Ambrosii, Cypriani, Au-
gustini, Chrysofomi, Hieronymi, Bedę ac aliorum.

Hoc onus inclyti principes humeris meis debilibus
imposuerunt, ad laudē dei, suorū subditorū salutem,
& fidei catholicæ augmētum & defensionē, quibus
ego non grauate pro debita obedientia morē gessi,
ac in subiectā formulam, non sine ingenti labore, re
degi. Hunc itaq; librum homiliarū de tempore, Illu
strissime princeps, cū edere statuissē, uisum est pre
clare cum eo actū, si tibi dedicatū prodiret in orbē:
motus præcipue hac ratione, q̄ Illustr. D. T. tam ca
tholice ac strenue se gessit aduersus hereticos ac sedi
tiosos, ut hinc apud deū Opt. Maxi. gratiā demerue
rit, atq; apud hoīes laudem immortalē. Quod uir
tutis insigne ornamētum, uelut hæreditarium ab in
clytis Lotharingiæ ducibus accepisti, qui semper in *Austrasia*
causa fidei ardēter amātes & fideles protectores in
uenti sunt. Posteaq; enim regnum Austrasię (in quo *Austrasia*
Carolus Marcellus, Pipini, & Carolus Magnus nati *diuisa.*
sunt) in Lotharingiam, Brabantiā & Lutzburgum
sectum est, principes Lotharingiæ in causa fidei sem
per reperti sunt cōstantes, strenui & optime anima
ti. Testis est locupletissimus Gotfridus dux de Bul
lion, adscitus à Lotharigo in hæredē, q̄ passagij Hi
erosolymitani supremus præfectus, uicit Antiochi
am & alias præclaras urbes oriētis. tandē ciuitatem
sanctā Ierusalē Anno græ M. XCIX. die xv. Iulij ui
ctoriose cepit, ubi & rex à toto exercitu salutatus ē.
Ardorē popelli Chriani tunc florētis agnoscimus,
q̄ dum exercitū recenseret ante Niceā Gotfridus, in
uenta sunt sexcēta millia peditum, & centum millia
equitū. Vestigia patrū secuti sunt duces posteriores
usq; ad tēpora principis Caroli, qui genero suo Re
nato, duci Calabriae & Andegauensi ducatum cōtu
lit, filio autē Renati duce Iohāne sine mascula sobo

110
190
12

90

anno. 1525

le decedente, sororius eius bello ducatu obtinuit, uictor & ceso maximo ac bellicosissimo Burgundionu principe Carolo ante Naceum, anno salutis 1477. ipso die Epiphaniae. Hoc nobilissimorum ac celebratissimorum principu uestigia secutus dux excelsae, dominia tua prudenter in magna securitate, pacifice, foris domique clarus administras. Et genuina animi tui uirtus, magnanimitas fortissima, prudentia singularis emicuit magnifice, dum Lutherana haeresis pestilentissima ac exitialis in Germania oriretur, satregisti plus quam paternis admonitionibus ac mandatis arduis hanc cluam a subditis tuis propellere, ac ne inficerentur, praecauere. Et fortitudinem animi tui ac bellicae rei peritiam tum maxime declarasti, cum sanguinolentum plebis Lutheranae aduersus oem omnino magistratum ac obedientiam in Germania ortum esset bellum, ac nobilitatem omnem, clerum ac monasticos in exilium pelleret, disiectis arcibus, direptis monasteriis, spoliatis ecclesiis, omnia ea moliretur, quae pessimi quique sacrilegi poterant excogitare. Tum labentibus rebus, trepidantibus clero ac nobilibus uniuersis, opportune succurristi, coacto tumultuario milite ac ualido equatu, felicissime seditiosos superasti ac confecisti apud Tabernas, apud nemus Castaneu, ante uallum Alsaticum, ac plerisque alijs locis. Qua uictoria & fidem catholicam, ecclesiae obedientiam, clerum, monasteria ac nobilitatem restituisisti, et tibi gloriam peperisti nunquam intermorituram. Deus illustrissimam D. T. in felici ac uictorioso regimine diu conseruet incolumem, & fidei adsertorem inuictum tueatur, cui me commendo. Ingoldstadij Bauaricae, duodecimo Ianuarij, Anno huius seculi trigesimo supra sequisimilesimum.